



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 17. Humilitas Christi D. exaltata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelsis. Id. ib.

Nisi & parva fuerint, magna eminere non possunt. Primum non dicitur, nisi secundum sequatur, & tertium. Ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. S. Hier. Præfat. in ep. ad Ephes.

Ultimum ordinem eligito; & tunc primum obtinebis locum. S. Chrysost. hom. 66. in Matth. c. 20.

Quare si magnus vis fore, hac ipsa contemne; & eris profecto magnus: illud enim, quod tu maximum putas, minimum omnium est. Idem ibid.

Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Sanct. Isidorus soliloq. l. 2. c. 5.

Christus baptizatur. Simul descendamus, ut simul etiam ascendamus. S. Greg. Naz. or. 39. in sancta lumina.

Meritum humilitatis præcedentis, janua gloriæ est subsequens. S. Rupertus l. 2. in c. 2. Joan.

Doleo, quia Prioratum desideras: Prioratum autem leviter obtineres, si desiderares esse posterior. Blesensis. ep. 13. ad Monachum Novit.

§. XVII.

Humilitas Christi D. exaltata.

Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ. Psal. 23. 17. Quando natus in præsepio, conclamatus rex non fuit. Si ei regius titulus non datur, cum è superis descendit; cur, quando ascendit, & in cælum redit, rex nuncupatur? Quia post vincula, post labores, in cælum redit. Tormenta Dei Filio coronam expolierunt. Eusebius Emis. hom. in Asc. meritò post peractam nostræ redemptionis administrationem Regis suscepit dignitatem. Alvarez in Gen. 49. Illustrissim. 338.

Exaltare super cælos Deus. Pl. 56. 6. Exaltare tu, qui fuisti in ventre matris oclusus; tu, qui in præsepio jacuisti; tu, qui ubera tanquam parvulus in vena carnis suxisti: tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense; tu mortuus, tu sepultus. **exaltare super cælos Deus.** Sanct. August. s. 13. de divers.

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Psal. 104. 18. Certè dignus jam est præcipuis honoribus. **Misit rex, & solvit eum;** - **Constituit eum dominum &c.** v. 20.

Sede à dextris meis. Pl. 109. 1. Ipse Pater introducit dicens: **Sede &c.** Neque propter hoc, quia in dextris Filius est, putare quispiam poterit, minorem esse honorem Patris: sed illud quisque cogitabit; oportuisse magis dextram non Patri, sed Filio, propter exinanitionem attribui. Clemens Alex. l. 1. in Joan. c. 9.

Polyanth. Sac. Tom. I.

Et ecce aperti sunt ei cæli. Matth. 3. 16. Non vi baptismi Joannis, sed meritò humilitatis, & orationis CHRISTI, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus super eum. Corn. hic.

Cum autem creveris - & sis arbor. Matth. 13. 32. Arbitror hoc ipsi Christo rectius comparari; qui nascendo in hominem humiliatus ut granum est; ascendendo ad cælum exaltatus ut arbor est. Granum planè Christus est, dum patitur: arbor est, cum resurgit. S. Ambr. f. 2. de S. Laur.

Tempus meum nondum advenit. Joan. 7. 6. S. August. tr. 28. nondum est tempus glorificationis meæ: Prius enim oportet me humiliari, & mori; & per hanc humilitatem ad gloriam meam ascendere.

Primogenitus mortuorum. Apoc. 1. 5. vocatur prius; deinde princeps regum terræ.

Ego sum a, & a. Apoc. 1. 8. principium, & finis; id est, novissimus virorum. Primas sedes tenet, & a. dicitur: a. literarum ordine ultima, a. prima. Quis tam distantes terminos sic adunavit? humilitas semetipsum **Extenuavit &c.** Philipp. 2. 7.

Christus, cum per naturam Divinitatis non haberet, quò cresceret, vel ascenderet; quia ultra Deum nihil est; per descensum, quomodo cresceret, invenit; veniens incarnari, pati, mori; nè moreremur in æternum. S. Bern. f. 2. in Asc. D.

Gloriam Filij Dei præcedit semper humilitas: quod agnosci promptum est ferè in omnibus, quæ fecit, vel pertulit in terris. S. Rupert, l. 2. in Joan. c. 2.

§. XVIII.

Humilitas Sanctorum exaltata.

Ex Veteri, & Novo.

Vendiderunt eum Ismaëlitæ. Gen. 37. 28. Accepturus totius provinciæ dominatum, venundatur in servum, in famulum adducitur; in innocentem fratrem crudelitas operatur. Suscipit servitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam. Humiliatur tempus, imminente necessitate regnaturus. Sanct. Chrysost. f. de Joseph.

Quia Joseph erat singulariter sublimandus, ideo primo fuit singulariter humiliandus, & tribulandus. Sanct. Thomas Aqu. in Gen. **Humiliaverunt in compedibus pedes ejus** Pl. 104. 18. Cur non potius dicitur: pedes ejus ferreis vinculis contrinxerunt. Lipomachus: humiliatur castus adolescens, ut exaltetur; captivatur, ut regnet; patitur, ut glorificetur.

Joseph cum sedecim esset annorum. Gen. 37. 2. Hebraicum **Ben**, id est, **filium**, significat inchoationem, & quasi ædificationem illius rei, à radice **bana**, id est, **ædificavit**. Nota; Joseph ab anno hoc decimo sexto ad trigessimum,

Rrr 2 mum,